

Imperatorem, & Imperatricem, vel Regem, & Reginam: text. est in leg. penult. Cod. de Donat. inter vir. & uxorem. & ibi comm. DD. facit etiam text. in leg. Cum multa, Cod. de Bon. qua lib. text. in leg. Bene à Zenone, Cod. de Quadrien. pras.

Advertendum tamen, quod omnia supra dicta videntur intelligi, quando donatio ista fit inter maritum & uxorem post nuptias celebratas, & copulam & translationem ad domum: secus verò aliàs inter sponsum & sponsam de præsenti; quia licet inter eos sit verum matrimonium, tamen non est tantus amor & affectio, & videtur cessare ratio fundamentalis prohibitiva, & per consequens valet donatio: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Azor. in Summ. Cod. de Donat. ante nupt. fin. column. in fin. & reputat novum & singulare Joan. de Imol. in leg. Si socer. §. Lucius. ff. Solut. matrim. 3. column. versic. Et attende bene. Joan. Pyrrhus in tractat. de Donatione mutua, 7. vol. in fin. tractat. column. 2. versic. Quarto confirmo. Alexand. ubi reputat mirabile in additionibus ad Bar. in leg. Si sponsus. §. Si uxor. ff. de Donat. inter virum, & uxorem. Camp. in tract. Don. 1. part. quest. 79. Sed salva eorum pace, ego teno contrarium, imò, quod donatio ista non valeat inter sponsum & sponsam de præsenti; & omnia quæ dicta sunt inter maritum & uxorem, habeant locum inter sponsum & sponsam: Primò, per textum & ejus regulam in leg. Nupt. ff. de Reg. jur. Secundò, per text. in leg. Non sine, versic. Quamvis, Cod. de Bonis maternis, ubi habetur, quod dispositio loquens in marito & uxore, extenditur ad sponsum & sponsam ex identitate rationis: sed tantus amor & affectio consideratur inter eos uno tempore sicut in alio, & fortè major: ergo habeat locum eadem dispositio, ut donatio infirmetur. Tertiò, per textum notabilem in leg. penult. ff. de Donat. inter virum, & uxorem, ubi apertè probatur, quod donatio facta ante festum & solemnitate nuptiarum, valet & tenet: & in terminis istam sententiam & conclusionem contra Azor. tenet Joan. de Imol. in leg. Maria. ff. Solut. matrim. in fin. Alexand. in leg. Si socer. §. Lucius eodem titul. fin. column. in fin. Salyc. in dict. leg. penultim. Socin. in Cons. suo, cons. 123. volum. 1. Palac. Rub. latè & singulariter in sua Rep. fol. 33. column. 2. versic. Li-

(d) Et vide Guterr. de Juramento confirmatorio, 1. part. cap. 3. num. 96. hancque sententiam tenet Dueñ. regul. 221. limit. fin. Guterr. ubi supra.

(e) Vide relatos per Caldam Pereyr. in leg. Si curatorem habens, column. 345. versicul. Inde inferens.

mita septimò. Confirmatur, quia successio quæ fit ex titulo unde vir. & uxor. habet etiam locum inter sponsum de præsenti: ita tenet Bald. in leg. fin. Cod. Unde liberi, 4. column. num. 12. Salyc. Dec. Curt. & Modern. in leg. 1. Cod. Unde vir. & uxor.

Hodiè tamen de jure regio omnia quæ dicta sunt in ista donatione habent locum & procedunt intra annum tantum à die matrimonii contracti; postea verò bene valet: quia prædicta ratio fundamentalis supra assignata, scilicet, ne mutuo amore se expolient, viget & habet locum illo tempore tantum; quia postea non videtur esse inter eos ille amor fervens & fortis, sed amor licitus & honestus, & non ita intensus: ita disponit lex singularis & unica in l. 3. titul. 12. lib. 3. For. ll. quam reputat singularem Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, de Donat. inter vir. & uxorem. fol. 32. column. 4. (d) Si tamen fieret intra annum, confirmaretur per lapsum ejus: Item confirmaretur morte donantis: Item, in casibus in quibus valeret constante matrimonio de jure communi, valebit infra annum de jure Regio.

Finaliter & postremò quæro, si donator in vita vel morte revocat prædictam donationem, & donatarius, qui eam recepit, consumpsit & non possidet eam, an revocatio aliquid operetur in quo articulo dico, quod si eam consumpsit utiliter, taliter quod ex ea est factus locupletior, tenetur in illa æstimatione: si verò inutiliter, taliter quod ex ea in aliquo non est factus locupletior, nullo modo tenetur: text. est in leg. Sed si vir. §. Non videtur. ff. de Donat. inter vir. & uxorem. tenet text. in leg. Quod autem. §. Si maritus eodem titul. facit text. in leg. Si eum servum. ff. Si cert. petat. text. in leg. Si & me, & Titium eod. titul. facit etiam Gloss. notabilis ordinaria in leg. His solis. ff. de Cond. indeb. & ibi Bart. & communiter DD. Ex quibus utiliter & necessariò quæro, an dona vel munera, quæ offeruntur sponsæ vel uxori tempore nuptiarum vel matrimonii à consanguineis sponsi vel mariti, efficiantur propria ipsius sponsæ, vel mariti, vel efficiantur communia? In quo articulo magistraliter & resolutivè dico, quod si donantur utrique simul ab extraneis vel amicis, efficiuntur communia, sicut cetera bona superlucrata; argumento text. in leg. Reos. §. Cum in tabulis. ff. de Duobus reis, cum simil. (e) si verò

simul & simpliciter donentur utrique ab alio ex consanguineis sponsi vel mariti, sibi soli quæritur, non verò sponsæ vel uxori; argumento eorum quæ statim dicam: Si verò dantur à consanguineis sponsi ipsi sponsæ tempore sponsaliorum vel ipso die nuptiarum, censentur donata ipsi sponso, & ab sponso sponsæ, & judicantur sponsalitia largitas, & per consequens lucrabitur medietatem per osculum, & totum per copulam, & si nihil horum intervenerit, nihil lucrabitur, sed, soluto matrimonio, tota donatio revertitur ad sponsum, ut supra diximus in sponsalitia largitate: Si verò dentur à consanguineis mariti uxori ejus constante matrimonio, censentur donata ipsi marito, & à marito donata uxori; & per consequens confirmatur morte mariti, vel per lapsum anni: nisi maritus antea revocet, vel uxor præcedebat; quia tunc revertitur ad maritum, sicut donatio inter virum, & uxorem, sicut supra dictum est in ea: quia omnia illa quæ ibi dicta sunt habebunt locum in ea: argumento text. in leg. Sed si plures. §. In arrogato. ff. de Vulgar. & pupil. ubi habetur, quod si pater arrogator dedit substitutum pubillarem filio arrogato, ad eum pertinebunt omnia bona quæ pervenerunt filio arrogato ab ipso patre vel à consanguineis ejus; quia contemplatione patris videntur data: text. in leg. 3. §. fin. ff. de Donation. inter virum, & uxorem, ubi habetur, quod si quis volebat donare aliquam rem marito, & ipse voluit & jussit ut daretur uxori, ipse maritus videtur donare uxori; & dicitur propriè donatio inter virum & uxorem: text. in leg. In adibus. §. Quod si filius fam. ff. de Donat. ubi, si quis donat rem patris vel alterius de voluntate & consensu ejus, ille videtur donare: Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in dict. leg. Sed si plures. §. In arrogato. ff. de Vulgar. & pupillar. in fin. & ibi notabiliter Paul. de Castr. Joan. de Imol. Alexand. & Jas. idem Alexand. Jas. Corn. & Modern. in leg. Ut lib. Cod. de Collat. Angel. de Aret. in §. Fuerat, Inst. de act. 19. column. num. 27. Palac. Rub. latissimè in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 24. column. 3. versic. Unde si frater, cum 4. sequentib. & ista est verior & communior opinio secundum Modernos, ubi supr. Licet Gloss. apertè vellet contrarium in dict. leg. Ut liberis, in verb. In ipsos sponso, & ibi Angel. Roman. & alii DD. Bald. in leg. Cum in te, Cod. de Donat. ante nupt. Salyc. in leg. Neque inter eas, Cod. de Donat. inter vir. & uxorem. Angel. Aret. & alii DD. in dict. leg. Sed si plures. §. In arrogato, de Vulgar. & pupillar. pro qua sententia & conclusione contra communem facit fortis. text. in leg. Si mater, Cod.

de Don. ante nupt. text. in leg. Si consentiente, eod. titul. text. in leg. Sine in vacuum, Cod. de Don. inter virum, & uxorem. Quibus responde ut per DD. in dictis locis. Ex quo inferitur quod si pater vel mater sponsi donavit sponsæ, tenetur sponso conferre; quia ejus contemplatione & nomine ejus & ex sua legitima & portione videtur datum: de quo suo loco dixi.

Item adde, quod bene potest quis donare suæ concubinæ, & valet donatio text. est in leg. Affectionis. ff. de Donat. & ibi Gloss. ordinaria, Bartol. & communiter DD. text. in leg. Donationes in concubinam, eod. titul. facit etiam text. in leg. 4. §. Sed quod meretrici. ff. de Meret. ob turp. caus. & ibi DD. text. in leg. Mercalem, Cod. eod. titul. Et non solum competit ei datorum retentio, sed actio promissorum, secundum Bart. & communiter DD. in dict. leg. Affectionis, contra Glossam ibi: & tenent latè DD. in dict. §. Sed quod meretrici. Et an hoc sit licitum in conscientia? vide notabiliter Abb. & DD. in cap. Quia plerique de Immun. Eccles. & Palac. Rub. fol. 22. column. 4. cum sequent. Quod tamen limita & intellige in privato: secus verò in milite; quia non potest donare concubinæ: Cujus ratio potest esse, quia in eis requiritur major castitas, ut sint audaciores ad prælium, & non fiant debiles: text. est in leg. 2. Cod. de Donat. inter vir. & uxorem. text. in leg. Miles. §. Ita mulier. ff. de Militari testam. & utrobique Glossa ordinaria, & communiter DD. Et idem est in clerico cælestis militiae, Doctore vel Advocato, secundum Bart. & DD. ibi. Ex quo videtur inferendum, quod idem sit in istis Commentariis Sanct. Joan. vel Sanct. Jacob. vel Calatravæ: & ita habui in quæstione de facto, in qua habui judicare. Unum tamen est: quod ad hoc ut sit miles, & gaudeat suis privilegiis, oportet quod fecerit solemnitates, de quibus in Glossa singulari in leg. penult. ff. Ex quibus caus. maj. quam reputat singularem & unicam Albert. ibi, & communiter alii DD. Item videtur requiri quod sit in expeditione belli; quia cessante causa privilegii, debet cessare privilegium: ita latè tenet & concludit Alexand. melius quam ibi in leg. Centurio. ff. de Vulg. & pupil. 4. column. num. 20. & ibi alii Moderni. Sed resolutivè dico, quod milites nostri temporis, qui sunt in aliquo certo loco causa belli parati pro defensione Reipublicæ vel Principis, & per consequens isti Commendatarii gauderent privilegio: Ita notabiliter Alexand. ubi supra, & ante eum tenet Cin. in leg. 1. Cod. de Juris & facta ign. 2. column. 10. & ibi alii DD. Advertendum tamen, quod licet in istis casibus non valeat prædicta donatio à milite, clerico, vel similibus personis;

nis; tamen non potest repetere danator nec ejus hæres, sed applicatur fisco: text. est singularis in leg. *Mulierem. ff. de His qui ut indign. facit text. juncta Gloss. ordinaria, in leg. His consequenter, §. 1. ff. Famil. ercis. Gloss. ordinaria, & ibi communiter DD. in leg. Hæreditas, Cod. de His quib. ut indignis. (f)*

69 Aliquando & sexto fit inter eos reciproca donatio ab ipsa leg. medietatis bonorum acquiritorum constante matrimonio, ratione societatis, & promiscui amoris & laboris in acquirendo & conservando: nam si maritus acquisivit aliqua bona constante matrimonio; eo soluto, dividuntur inter maritum & uxorem, vel eorum hæredes: itaque quilibet eorum prius & ante omnia sibi deducet patrimonium & capitale, quod habebat tempore contracti matrimonii, vel æstimationem ejus, si fuerit venditum vel consumptum constante matrimonio; & quidquid ultra reperitur superlucratum & acquisitum, dividitur inter eos ratione societatis & conjunctionis animorum & corporum; quæ inter eos videtur contracta: argumento text. in reg. *nuptias, ff. de Regalis juris, text. in leg. Cum fuerit. ff. de Cond. & demonstr. text. in cap. Debitum de bigamis, text. in cap. 2. de Sponsal. text. in cap. Cum societas, caus. 27. quest. 2. text. in leg. 1. ff. de Ritu nuptiarum, text. in leg. 1. ff. Rerum amotarum, text. in leg. Adversus, Cod. de Crimine expilata hæreditatis, text. in §. 1. l. Inst. de patria potestate, ita disponit lex 1. 2. & 3. tit. 3. lib. 3. For. II. & in leg. 1. & per totum tit. 4. lib. 5. Ord. (g) & istud vult & præsupponit nostra lex Taur. Et merito prius & ante omnia deducitur proprium patrimonium & capitale uniuscujusque, vel æstimatio ejus; quia quando inter aliquos simpliciter contrahitur societas, intelligitur bonorum futurorum, remanente salvo capitali, nisi expressè & specialiter dicatur inter eos contrarium: ita probat text. in leg. *Coiri societatem, cum legib. sequentib. ff. Pro socio, & in leg. 3. §. 1. eod. tit. & in leg. Cum duobus. §. Damnat. eod. tit. & in leg. Societatem universarum eodem tit. & utrobique communiter**

(f) Item est iustissima lex, quod talis donatio non valeat, facta etiam concubina regulariter, etiam à quolibet privato; quia apertè fit ex causa turpi, & conservatur in futurum & remuneratur in præteritum, & inducit causam pietatis.

(g) Sic divisionem bonorum fieri debere soluto matrimonio docet Montalv. & Suar. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. Fori propè fin. Greg. in leg. 55. tit. 5. part. 5. gloss. magna. column. 2. versicul. Et facit hic ad aliam questionem. Matienz. in leg. 1. tit. 9. lib. 5. gloss. 2. num. 3.

(h) Ita tenet etiam Montalv. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. verb. de Cons. in fin. Greg. in leg. 55. tit. 5. gloss. magna. 3. column. in fin. part. 5. Matienz. in leg. 1. tit. 9. lib. 5. gloss. 2. num. 1.

(i) Idem consilium præstitit Palac. Rub. in Repet. rub. §. 60. in fin.

(k) Itaque si maritus veniat ad matrimonium dives & opulentus, & mulier pauperrima, vel

DD. Quod extendit, ut procedat & habeat locum nedum in matrimonio vero; sed etiam in putativo: ita probat text. notabilis in cap. 2. de Donat. inter vir & uxor. & ibi tenet & commendat Abb. & alii DD. probat etiam text. in leg. *Si cum dotem. §. fin. ff. Solut. matr. ubi dotputativa habet privilegia dotis veræ: tenet etiam & commendat Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 19. column. 2. Roder. Suar. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. II. quest. 1. & idem probat & disponit l. 4. tit. 6. lib. 3. For. II. Quod intellige quando mulier contraxit ignoranter: secus tamen si scienter; quia tunc nihil lucratur: ita probant prædicta jura, & expressè tenet Roderic. Suar. ubi supra.*

In dubio autem, si non constet vel appareat an bona sint propria & patrimonialia, semper præsumuntur superlucrata & acquisita constante matrimonio, nisi contrarium probetur, de communi stylo & consuetudine hujus regni: Ita dicit lex 203. in II. stili, & tenet Gloss. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. II. in glos. 2. & tenet Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 36. column. 3. versic. *Hodiè tamen*, ubi dicit, quod ita practicitur: tenet etiam & declarat Roderic. Suar. in dict. leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. II. 24. fol. vers. *Ad finem accedens. (h)* Et sic erit optimum consilium, ut tempore contracti matrimonii fiat scriptura publica de omnibus bonis, quæ uterque conjux habet & adducit ad domum; quia illa prius deducuntur, & residuum communicabitur inter eos: ita tenet & declarat Roderic. Suar. in dict. leg. For. 2. quest. (i)

Fructus tamen prædictorum bonorum priorum utriusque conjugis, cujuscumque naturæ vel generis sint, qui supersunt soluto matrimonio, efficiuntur communes inter maritum & uxorem, & dividuntur inter eos tanquam bona superlucrata: ita disponit lex fin. tit. 3. lib. 3. For. II. & leg. 3. tit. 4. lib. 5. Ord. Quod extendit, etiam si unus plura bona habeat quam alius. (k) Item extendit, etiam si fructus sint percepti ex rebus majoratus: argumento text. in leg. *In adibus. §. Ex rebus. ff. de Donat. &*

& tenet expressè Palac. Rub. in dict. repet. cap. 71 Per vestras, fol. 38. column. 2. Ex quibus infertur, quod hodiè cessat disputatio Glossæ & Doctorum in leg. *Ubi adhuc, Cod. de Jure dotium*, an maritus lucretur fructus rerum paraphernalium? (l) Si verò fructus nondum fuerint collecti & separati à solo, sed tantum pendentes in re vel fundo; similiter sunt communes, & dividuntur inter maritum & uxorem soluto matrimonio, si jam sint nati & apparentes in re vel fundo: si autem non sint nati nec apparentes, non communicantur, sed fiunt ejus, cujus est proprietas. Quod est verum, & procedit, si fundus est vinea, vel hortus, vel continens arbores: secus tamen est, si fuerit fundus mere rusticus, in quo frumentum est seminatum; quia licet nondum appareant fructus, nec sint nati, pendentes dividuntur inter eos; si verò nullum frumentum est seminatum, nihil communicabitur inter eos, sed dominus fundi vel proprietatis tenetur solvere alteri conjugi vel hæredibus ejus medietatem sumptuum, & expensarum factarum in re vel fundo: ita disponit singularis, & ingeniosa lex 10. tit. 4. lib. 3. For. II. (m) fructus tamen ex pecoribus indistinctè communicantur & dividuntur inter eos, licet non sint nati, sed in ventre: ita dicit & concludit ibi Glos. ordinaria in dict. leg. 10. & Palac. Rub. in dict. cap. Per vestras, fol. 38. column. 2. ubi dicit quod ita practicitur. (n)

72 Quod tamen limita & intellige, præter quam in casibus sequentibus in quibus prædicta bona

acquisita superlucrata non communicantur inter eos: Primus est, inter sponso de præsentem ante ductionem ad domum, & simultaneam habitationem; quia licet in favorabilibus ex benigna interpretatione, dispositum in marito & uxore habeat locum in sponso de præsentem, ut in leg. *Non sine*, versic. *Quamvis*, Cod. de Bon. quæ lib. tamen hoc non procedit nec habet locum quando est diversa ratio, ut in nostro casu, in quo prædictæ leges requirunt quod ambo vivant simul & de consensu; quia ab illo tempore est contracta societas. (o) Item etiam propter curam & diligentiam quam præstat uxor: & in expresso ita tenet Gloss. ordinaria in dict. leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. II. Doctor de Segur. in Repet. leg. *Unum ex familia. §. Si fundum. ff. de legat. 2. fol. 46. totius oper. 3. column. Palac. Rub. in sua Repet. fol. 37. column. 2. versic. Unde lucra habita*, quem vide, quia notabiliter loquitur. Ex quibus notabiliter infertur, quod si uxor seorsum habitat à marito, factò inter eos divortio culpa uxoris, ut propter adulterium, vel ex alia culpabili causa, non lucrabitur medietatem bonorum postea quæsiturum, (p) secus tamen si absque culpa uxoris, ut si propter sævitiam mariti uxor fugiat in monasterium, vel petat divortium; quia lucrabitur hanc medietatem bonorum: & in expresso ita tenet & concludit Doctor Palac. Rub. in dict. sua repet. fol. 40. vers. *Limitabis*, 2. part. column. 3. quem vide, quia bene fundat. (q)

Secundus est, quando illa bona acquisita &

à contrario, semper communicantur lucra constante matrimonio quæsitæ: idque semper vidisse practitari asserit Suar. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. Fori limit. 1. Boër. dec. 21. num. 31. quibus accedit Matienz. in leg. 2. tit. 9. lib. 5. gloss. 1. num. 8. licet Montalv. in leg. 3. tit. 3. lib. 3. Fori. levibus fundamentis contrarium probare nitatur, & Cassan. in Consuet. Burg. rubr. 4. §. 2. verb. *Marice*, num. 2. & 3. Et Acquen. num. 14. & 16. quorum fundamentis plenè satisfacit Matienz. ubi supra.

(l) Vide Greg. in leg. 17. tit. 11. part. 4. verb. *Todos los bienes*. Matienz. in leg. 4. tit. 6. lib. 5. gloss. 1. in fin.

(m) De qua vide leg. 26. tit. 1. part. 4.

(n) Idem tenet Montalv. in dict. 10. tit. 4. lib. 3. Fori. Matienz. in leg. 4. tit. 9. lib. 5. Recop. gloss. 1. num. 4.

(o) Hunc primum casum confirmat etiam Montalv. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. Fori. gloss. 1. Palac. Rub. in leg. 16. Taur. num. 12. Castill. verb. *Durante el matrimonio*, & Cifuent. num. 1. Covarr. in Epitome de Sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 1. num. 6. communemque sententiam testatur Matienz. in leg. 2. tit. 9. lib. 5. gloss. 1. num. 41. apud Gallosque communi usu fori receptum testatur Boër. dec. 22. num. 27. & 33. Decius consil. 260. & consil. 54. num. 7. idem Boër. in Consuetudinibus Bituricensib. tit. de Consen. matrimonii, §. 2. column. 5.

(p) Idem etiam tenet Aviles in cap. *Pratorum in proemio*, & Azeved. in leg. 3. tit. 1. lib. 5. Recop. & in leg. 4. tit. 2. lib. 5. num. 10. & num. 21.

(q) Idem docet Palac. Rub. in leg. 16. Taur. num. 29. Castill. ubi gloss. magna. column. 7. versic. *Sed pone quod uxor*. Matienz. in leg. 2. tit. 9. lib. 5. gloss. 1. num. 46. & 47. Covarrub. de Sponsal. nup. cap. 7. §. 1. num. 6. Pinel. in leg. 1. part. 1. Cod. de Bonis maternis, num. 58.

superlucrata sunt donata à Rege, vel quolibet alio particulari: quia non communicantur nec dividuntur inter eos: ita dicunt & disponunt prædictæ II. Et in Principe vel Rege potest esse ratio; quia liberalitas regia vel imperialis habet istud privilegium, ut insolidum quærat ei cui confertur, & non teneatur communicare cum altero, ut in *leg. Cum multa, Cod. de Bon. quæ lib.* & in alio particulari potest esse ratio; quia ob maritum & contemplationem ejus personaliter videtur datum; non verò causa vel occasione societatis, ut in *leg. Nec adjecit, cum tribus seq. ff. pro socio, text. in leg. Socium qui in eod. §. fin. in fin. eodem titul.*

Tertius est, quando illa bona acquisita & superlucrata proveniunt ex successione ex testamento vel ab intestato alicujus consanguinei, vel extranei: ita etiam disponunt prædictæ II. (r) Confirmatur; quia acquisitio quæ fit ex successione non pertinet ad societatem: text. est in *leg. Nec adjecit. ff. pro socio, cum leg. seq. text. in leg. Si societatis, Cod. eod. titul.* Quartus est, quando illa bona acquisita superlucrata sunt castrensia, & proveniunt ex salario vel stipendio militari: nisi suis sumptibus & expensis vadat sine salario vel stipendio publico; quia sunt sicut sumptus & expensæ sunt communes, ita & lucra: ita etiam disponunt prædictæ II. maximè *lex 2. titul. 4. lib. 5. Ordin.* fructus tamen istorum bonorum bene communicantur & dividuntur, sicut fructus bonorum priorum, ut ibi dicitur: secus tamen est, si bona superlucrata sunt quasi castrensia, ut ea quæ acquirit Doctor, Auditor, Judex, Advocatus, Medicus; quia bene communicantur & dividuntur inter maritum & uxorem, cum prædictæ leges tantum excipiant bona castrensia propriè quæsitæ ex salario & stipendio militari: & ita tenet Palac. Rub. in *dict. repet. fol. 39. colum. 1. versic. Ex his inferitur:* & ita practicatur. Nec obstat *lex 4. tit. 4. lib. 15. Ordin.* Quia loquitur tantum in officiis & donationibus concessis ab ipso Rege vel Principe; quia illa dona & beneficia non dividuntur. Confirmatur, quia officium est proprietas; lucra verò & redditus sunt fructus: unde merito communicantur: & in expresso ita tenet & declarat Roderic. Suar. in *dict. leg. 1. limitazione 3. fol. 16. 2. column.*

Quintus est, quando maritus constante matrimonio vendit vel alienat prædicta bona, vel partem eorum; quia in eis non habebit uxor medietatem: præterquam si dolose alienavit, ut uxor privetur sua parte; quia tunc

bene potest repetere & habere suam medietatem: ita disponit *lex fin. titul. 4. lib. 5. Ordin.*

Pulchrum tamen dubium est, an illa lex procedat & habeat locum in alienatione facta titulo donationis? ut si maritus donat vel gratis concedit alteri prædicta bona, vel partem eorum, an uxor possit repetere & revocare à possessore prædictam alienationem, ut habeat suam partem, & medietatem, dolo aliquo non probato in marito alienante? Et breviter & resolutivè teneo, quod non possit uxor repetere nec revocare, nisi dolo probato; & per consequens maritus possit prædicta bona alienare titulo oneroso vel lucrativo; & non possit alienatio revocari, nisi probetur dolus in marito alienante; qui in dubio numquam præsumitur: Primò, quia veri creditores etiam ex causa onerosa non revocant alienata per debitorem titulo lucrativo, nisi probetur dolus & fraus in ipso alienante; ut in *leg. 1. per tot. ff. de His quæ in fraud. cred. & in leg. penult. Cod. eodem titul.* ergo ita in proposito, ex solo titulo donationis non præsumatur dolus nisi probetur. Secundò, quia aliàs tolleretur commercium & facultas contrahendi marito. Tertio, quia bona superlucrata efficerentur inalienabilia & subiecta restitutioni: quod non est dicendum, nec est intentio præd. legum. Quod limita & intellige, præterquam in casibus, in quibus ex solo titulo vel contractu præsumitur dolus in alienante; ut si esset donatio omnium bonorum: vel aliàs ex alia causa vel respectu. Quarto facit; quia sicut aliàs, prohibita alienatione, videtur prohibita donatio, & omnis actus per quem dominium transfertur, ut in *leg. 1. versic. fin. Cod. de Fundo dotali, text. in leg. fin. Cod. de Rebus alien. non alienand. text. in cap. Nulli, de Rebus Eccles. non alien. cum similib.* imò, sola venditione prohibita, videtur prohibita donatio, & omnis actus per quem dominium transfertur: ista est Glos. singularis & unica, juncto text. in *leg. 2. Cod. de Usucapion. pro empt.* quam ibi notant & commendant scribentes, & reputat singularem & unicam Bald. in Rubr. extrà, de Pactis 2. colum. idem Bald. in cap. Littera, de Dilation. Jās. in leg. Filius familias. §. Divi. ff. de legat. 1. colum. 16. num. 71. & ibi alii Moderni: ergo per contrarium, permissa venditione & alienatione sine dolo & fraude, censetur permissa donatio. Quintò facit, quia prædictæ leges quæ inducunt communionem lucrorum, sunt correctoriæ juris communis, & per eas nimis gravatur maritus, communicando cum uxore quæsitæ constante matrimonio-

(r) Et ita refert Matienz. hunc casum in *leg. 3. titul. 9. lib. 5. Recop. gloss. 6. num. fin.*

monio: ergo debeant restringi, ut sicut potest maritus vendere & alienare, possit etiam donare. Sextò ego pondero *leg. fin. titul. 4. lib. 5. Ordin.* quæ generaliter & absolutè dicit, quod maritus possit alienare: ergo debet intelligi, quovis titulo alienationis oneroso vel lucrativo. Et in expresso istam sententiam & conclusionem in terminis similis statuti tenet Anchar. in *Constitutis suis, cons. 102.* quem omnino vide, quia pulchrè & notabiliter loquitur: & ista est veritas sequenda & tenenda in judicando & consulendo. (s) Licet Doctor. Palac. Rub. expressè teneat contrarium, imò, quod non possit maritus donare, in *sua Repet. fol. 47. colum. 2. vers. Ex his inferitur,* & Roderic. Suar. in *sua Lectura super ll. Fori, fol. 21. column. 2. versic. Ex prædictis,* moti principaliter unico & generali fundamento: scilicet, quod in generali & libera administratione bonorum concessa non venit potestas & facultas donandi, nisi expressè concedatur: text. in *leg. Filius familias de donat. text. in leg. Contra juris. §. Si filius. ff. de Pact. text. in leg. 1. §. 1. ff. de Offic. Procu. Casar.* Sed certè illa jura non obstant: quia loquuntur & intelliguntur quando in bonis alienis & patrimonio alterius esset concessa à lege vel ab homine alicui tertio libera & generalis administratio: secus tamen est in nostro casu & quæstione, in qua maritus de jure communi habet propriam, liberam, & absolutam administrationem bonorum suorum; quia bene poterit donare, & ad libitum voluntatis de eis disponere. Ex quibus infero, quod si maritus aliqua bona superlucrata consumpsit ludendo, meretricando, vel ad alios malos & reprobos usus, non potest uxor petere partem eorum, nec sibi solvi & satisfieri ex aliis bonis mariti: quia non fecit nec alienavit principaliter animo fraudandi & privandi uxorem sua medietate & lucro legali, sed casu & vitio proprio: & in effectu ita tenet Roderic. Suar. in *dict. leg. 1. Fori, fol. 22. column. 2. versic. Queritur circa hoc. (t)*

(s) Idem etiam in simili statuto tenet Cassan. & Bœr. per Molin. relati, *lib. 2. de Primogen. cap. 10. num. 66.* hancque sententiam veriorum in puncto juris testator novissimè Ayor. *de Partitionibus, 2. part. quæst. 41. num. 46.*

(t) Idem solvit Gregor. dicens, verius in puncto juris, in *leg. 13. verb. Ganancias, titul. 7. part. 1. Matienz. in leg. 5. titul. 9. lib. 5. gloss. 6. num. 7.* Nec, ut ipsi ajunt, obstat huic sententiæ; *leg. Adeo, §. penult. ff. Pro socio, ibi: Quod in alea, vel in adulterio perdidit socius,* nec *leg. Si is cum quo. ff. Communi divid. & in leg. Cum duob. §. Damna. ff. Pro soc. contrarium in Societate disponentes, eo quod ludere sit lata culpa, & meretricari sit dolus, ut latissimè probat Matienz. ubi supra: Quia de Societate expressa ad tacitam conjugalem non omnino procedunt argumenta, quoniam marito competit alienandi potestas, ut in *leg. 5. titul. 9. lib. 5. Recopil. socio verò non: id etiam respondet Greg. ubi supra, & Suar. tenet etiam Burg. de Paz Jun. in Quæst. suis, quæst. 8. num. 13. & 29. Navarr. in Manuali latino, cap. 17. numer. 155. Azeved. leg. 5. titul. 9. lib. 5. Recopil. num. 19.**

Sextus est, quando uxor, soluto matrimonio, vivit luxuriosè & inhonestè: quia tunc amittit prædictam medietatem lucrorum, & revertitur ad hæredes mariti: ita disponit *lex fin. titul. 4. lib. 5. Ordin.* quæ tamen lex non habet locum in marito, uxore mortua; quia in eo non est tantum dedecus, argumento text. in *leg. 1. Cod. de Adult. & argumento, dicti Spec. in tit. de Actore, §. 1. versic. Sed utrum masculo,* ubi tenet, quod licet mulieri luxuriosè viventi interdicitur administratio bonorum, ut in *leg. Et mulieri. ff. de Curat. furios.* non tamen interdicitur masculo.

Advertendum tamen, quod circa prædicta se offert pulchra & subtilis difficultas: Si maritus vendidit, donavit, vel alienavit aliqua bona in fraudem uxoris, ut non habeat nec consequatur prædictam medietatem lucrorum; qualiter consulatur uxori, & quod remedium habeat pro recuperatione? Et breviter & resolutivè dico, quod si alienatio fuit facta in pecunia, ve rebus, quæ pondere numero, vel mensura consistunt, vel in aliis rebus mobilibus, quæ non extant; maritus vel hæres ejus debet solvere de proprio patrimonio & bonis suis, vel imputare in parte lucrorum quæ pertinet ipsi marito: si verò, facta excussione in bonis mariti, non inveniatur solvendo, poterit mulier agere contra possessorem, secundum materiam revocatoriæ alienationis eorum quæ fit in fraudem creditorum. Si verò alienatio fuit facta in specie quæ extat, indistinctè poterit mulier agere contra possessorem, etiam nulla facta excussione, ut dixi & tractavi suo loco, in *dicta materia alienationis qua fit in fraudem creditorum.* Unum tamen est, quod per transitum ad secunda vota non amittit istam medietatem lucrorum, nec tenetur proprietatem eorum servare filiis primi matrimonii: quia non videtur habuisse à marito & ejus largitione, sed ab ipsa lege, & ejus beneficio & promissione: argumento text. no-